

157.

Schiffen.

157.





V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,  
philos. u. jurist. Inhalts.  
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



COLLEGIUM MORALIS PUBLICI

DISSERTATIO SEPTIMA

De

CONSCIENTIA  
DUBIA ET SCRUPU-  
LOSA, DEQVE CON-  
SCIENTIÆ EXAMINE,

QUAM

D. O. M. A.

SVB PRAESIDIO

Clarissimi atq; excellentissimi viri

DN. HENRICI IVLII Scheurl

Opt. art. M. & Philosophiæ moralis Prof. P.

nec non pro tempore Facultatis Philosophicæ

Decani, Præceptoris ac Fautoris sui

ætatem colendi,

Publica disquisitioni subijcit

MAVRITIVS CÜSTERIVS

Gardelegiâ Marchicus.

IN AUDITORIO MAIORI,

XV. Kal. Augusti.

HELMÆSTADI.

Typis IACOBI LVCII,

cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> cXXXV.

26

Præsent. 8.  
1678  
by G. G. Lennig  
Amst.







*Reverendo, Clarissimis, Experientissimo, Amplissimis Consultissimisq; VIRIS*

**Dn. M. PAVLO CÜSTERIO** Ecclesiae Patriae Pastori ac vicinarum Inspectori, P. L.

**Dn. MAVRITIO Schultzen/** Reipub. Patriae Consuli primario,

**Dn. CHRISTOPHORO Gstenfeldten/** apud Stendalienses Physico ordinario & Practico celeberrimo,

**Dn. BARTHOLOMÆO Schönbecken/** Reipub. Stendaliensis Camerario & Academiae Viadrinae Quaestori spectatissimo,

**Dn. PAVLO Bornmannen /** Reipub. Patriae Camerario meritissimo,

*Parenti, Propatri, Patronis ac Affinibus suis omni pietatis & observantia cultu perpetim prosequendis*

*περὶ μνησίου* hocce Academicum  
Ex

**ILLVSTRI IVLIA**  
*inscribit*

**MAVRITIUS CÜSTERIUS.**  
*Respondens.*





DISSERTATIO VII.

DE CONSCIENTIA DV-  
BIA ET SCRVPVLOSA, DE-  
QVE CONSCIENTIÆ  
EXAMINE.

APHORISMVS I.



Vemadmodum *Dubia Conscientia*, si propriè loquaris, conscientia non est, ut præcedenti dissertatione demonstratum fuit, ita etiam nemo propriè vel secundum vel contra eam agere dicitur. Cum enim non statuat aliquid aut credat qui dubius est, adeoq; nullum ferat iudicium, jam per se manifestum est neq; secundum neq; contra iudicium, quod nullum est, agi, sed quid agendum sit nesciri. Peccat tamen qui conscientia dubia operatur ideò, quia etiam si non iuxta aut contra at tamen præter Conscientiam agit, nam ita nos accuratè loqui existimamus.

II. Quisquis autem præter conscientiam operatur, hoc est, cuiuscunq; iudicium non est determinatum ut dicere possit, hoc mihi nunc licitum est exsequi, is manifesto peccandi periculo sese exponit ac imprudenter operatur sive quod idè est, peccat. Id quod non ipsa solum ratio sed scriptura etiam sacra inculcat, quando *ad Rom. 14.* Omne, quod non est ex fide, peccatum esse, dicit. Quem

R 2

cano-



canonem tam miserè ab ignorantia mancipijs ad confir-  
mandam illam stolidè excogitatam philosophiæ cum  
Theologia pugnam detorqueri, non sine jucundissimo  
risu recordari solemus. Nam si per fidem ibi fiducia in  
meritum servatoris nostri intelligitur, aut assensus etiam  
ille quo vera esse credimus quæ à Deo nobis sunt revela-  
ta, ut belli isti interpretes somniant, quid obstat quo-  
minus & edere, bibere, dormire, stare, sedere, jacere, am-  
bulare, administrare rempublicam, & deniq; quidvis a-  
gere peccatum esse dicamus, cum nihil horum, per se,  
pleraq; etiam ne quidem per accidens, hoc sensu ex fide  
fieri possint? Ecquis enim aut cibum aut potum capit  
ideò quia articulos fidei veros esse judicat aut pro se suis-  
que peccatis satisfactum esse à Servatore nostro certus  
est?

III. Quantò igitur rectius facerent, si in illius loci  
interpretatione Chrysostomum, Ambrosium aliosque  
sanctissimos Ecclesiæ doctores sequerentur, qui per fi-  
dem hic nihil aliud quam conscientiaè iudicium intelli-  
gunt, ita ut hæc sit istius loci sententia; quicquid non  
convenit cum iudicio propriae conscientiaè id est omninò  
peccatum. Atq; hanc esse genuinam istius canonis inter-  
pretationem & ex toto capite continuâ serie apparet & è  
verbis proximè præcedentibus: *Qui verò ambigit, si ederit,  
condemnatus est, quoniam non edit ex fide*: evidentissimè de-  
monstratur. Ubi ipse Apostolus ambigere, hoc est, du-  
bitare an liceat comedere, interpretatur per non ex fide,  
h. e., non ex certa scientia & firmo rationis iudicio ope-  
rari. Sed quid tam diu tam manifestæ rei inhæremus?

IV. Ut hoc agamus, cujus ergo sermonem hunc ce-  
pimus, notari debet diligenter dupliciter aliquem dubi-  
tare posse, Speculativè scilicet & Practicè. *Speculativè du-  
bitat,*



bitat, qui extra exercitium suæ actionis est dubius, an hæc aut illa actio licita sit vel illicita; *Practicè*, qui in ipso exercitio *sui actus* ita est dispositus ut non iudicet se bene agere quod agit. Vel, ut alij hoc explicant, *Speculariva dubitatio* est de actione universali ex. gr. An liceat bellum gerere & interficere homines? an liceat usuras accipere pro pecunia mutuò data? &c. *Practica* verò est de actione singulari, An ex. gr. liceat hoc tempore, hoc loco, contra hunc Christianum belligerare, An item liceat ab hoc Iudæo accipere hanc usuram?

V. Et quamvis è speculativo de re universali dubio plerumq; imò ferè semper nascatur dubium practicum de re singulari, quippe cum hoc nihil aliud sit quam subsumptio quædam sub isto uniuersali facta; non tamen omnino hoc est perpetuum, & fieri potest ut aliquod singulare cognoscatur non tam ex universali quam vel ab experientia vel ex suggestione alicujus Præceptoris. Sicuti nos omnes prius cognovimus quod hoc vinum calefaciat, quod nostri sint à nobis amandi parentes, quod nobis pro nostra patria sit fortiter pugnandum, quam, quod omne vinum calefaciat, quod omnes parentes sint ab omnibus in genere amandi, quod deniq; unusquisq; pro patria pugnare teneatur.

VI. Rectissimè igitur iudicium Intellectus à nonnullis etiam dividitur in *remotum*, quod antea speculativum diximus, quodq; de universali actione fertur. Quæ quia, ut cetera universalia, extra certum locum & tempus est, à nullo homine exerceri potest; & *proximum* quod est de actione singulari, & cui voluntas tanquam proximæ suæ regulæ tenetur obedire. Hujus omninò aliqua requiritur certitudo, illius verò non item; alias rudiores, qui aliorum consilia in agendo sequuntur, perpetuò pecca-

R 3

rent,



rent, cum alterius speculativæ certitudini adhæreant, ipsi verò eam nec habeant nec habere possint.

VII. Unde apparet certitudinem practicam cum incertitudine speculativa conjunctam esse, hoc est, incertum aliquem speculativè esse de universali actione posse an ea sit licita, & simul practicè certificari de actione sua, quod sit licita, quia nimirum ab externo judicio persuadentis aut consulentis aut jubentis, quem tanquam prudentiorem sequitur, ita in suæ actionis rectitudine confirmatur, ut practicè amplius non dubitet: Quemadmodum in exemplo superius allato, de subdito ad mandatum principis militante, pater.

II X. Arque ita jam facilè intelligetur illa limitatio quam paulò ante communi isti regulæ: *In dubiis tutior pars est eligenda*: adjiciendam esse diximus. Facilè etiam è dictis sequentes conclusiones intelligentur, quæ sunt:  
1. *Conclusio*: Quicumque practicè dubitat de singulari sua actione & tamen liberè eam exercet, ille peccat etiam si illa actio per se fuerit bona, & ratio hæc est, quia se peccandi periculo exponit & ausu temerario operatur.

IX. *Conclus. 2.* Quicumq; jam dicto modo operatur, is obnoxius fit illi peccato cujus se periculo exponit, quia quantum in se est vitare illud non conatur. Quamobrem, etiam si idololatriam destruere non sit peccatum sed actio potius laudabilis, si tamen is qui destruit eam eo ipso quo hoc facit, dubitat an non sacrilegium committat, jam fit sacrilegus, & opus per se bonum faciendo, malè tamen operatur, quia operatio ejus ex fide non procedit.

X. *Conclus. 3:* Qui dubitat speculativè de actione universali, de sua tamen singulari actione probabiliter quod justa sit credit ac statuit, is exercendo eam non peccat,



peccat, quia proximæ suæ regulæ conformem voluntatem habet. Atq; hoc est quod Augustinus ait, militem qui speculativè dubitat, an bellum sit justum, posse nihilominus sine peccato militare sub illis, quos credit non esse tam imprudentes, ut bellum injustum suscipiant.

XI. *Conclus. 4:* Quicumque de actione aliqua singulari est dubius eum oportet suspendere illam, donec deponat suam dubitationem & vel eligat partem tutiorem si est sui juris & perficere negotium necessum habet, vel amplectatur id quod superior mandat, si alteri forte sit subiectus. Cujus quidem regulæ ratio è superioribus facile redditur, neq; adeo opus est ut ei demonstrandæ diutius inhæreatur. Illud tantum observandum est, quid sit propriè deponere conscientiam, id enim nos explicaturos præcedenti dissertatione promissimus, ubi etiam ad deponendam erroneam conscientiam diximus nos obligari.

XII. Est autem nihil aliud illa depositio sive erroris sive dubii, quam emendatio judicii per diligentissimam veritatis inquisitionem facta: quæ & ipsa necessum est ut sit legitima & sua habeat requisita necessaria, ne etiam illegitimè inquirendo peccemus & malum malo cumulemus. Nempe non debet inquisitio illa fieri per illicita media, ut per magicas præstigias, quas adhibere nonnulli solent, qui Hermeticæ Philosophiæ cultores appellari gestiunt, cum nihil sani plerumq; cognoscant, quando vel sigilla certo tempore confecta dum cubitum cunct frontibus imprimunt, vel precationem quandam recitant (quam eorum non nemo à Salomone in hunc finem confectam persuadere mihi conatus est aliquando) ut ita per somnium & quidem divinum, ut sibi persuadere audent,



dent, manifestetur ipsis qua ratione gerere se in presenti negotio debeant. Quibus profectò hominibus nihil esse solet ridiculum magis, nihil item arrogantius, cum omnem accuratam eruditionem præ suis istis nugis, imò flagitiis, contemnant, & nescio quorum mysteriorum abstrusam cognitionem sibi polliceantur.

XIII. Deinde non improbabilis & temeraria debet esse hæc inquisitio, cujusmodi est eorum qui vel pro arbitrio suo temerè cuivis credunt, vel pertinaciter omnibus sententiis quantumvis sufficienter probatis resistunt, quorum utrumq; nihil aliud est quam errandi peccandique periculo sese exponere. Sed debitâ viâ ad veritatem deveniendum est, nempe per probabilia argumenta, quibus, ut Cicero ait, *ratio cogitur naturaliter cedere non secus ac lanx imposito ponderi*. Ejusmodi igitur ex argumentis erroris aut dubii refutatio oritur, quam duplicem tamen vicissim Philosophi morales constituunt: *propriam*, qua quis suâ industriâ argumenta singula solvit quibus vel probatur error vel dubium movetur; & *communem sive remoram*, quæ ab aliis petitur & hanc regulam pro fundamento habet: *prudencioribus imprudentiores decet obedire*.

XIV. Quod si neutra refutatio adesse possit, cum scilicet neq; ipse agens, aut acturus quippiam, inquirere in veritatem queat nec habeat à quo instruat, jam invincibilis est iste error, nec peccat qui ex eo operatur ut jam ante docuimus. In dubio verò unusquisq; eligere debet id quod ipse tutius esse & minora habere incommoda judicat, & dare operam ut 1. sufficientem adhibeat diligentiam & 2. reverà habeat voluntatem non peccandi: ita nunquam in operatione sua, saltem graviter, peccabit.

XV. *Scrupulosa* deniq; Conscientia est, quando quis practicè judicat licere sibi agere quod agit vel acturus est,  
& 12-



& tamen dubitat speculativè cum anxietate quadã & timore  
è conjecturis non rarò levissimis proveniente, & animum  
ita excruciante, ut quis nihil fieri sine peccato suspicietur  
eorum quæ facit aut est facturus. Unde etiam à nonnullis  
conscientia *arcta & angusta* vocari solet, ac in optimis qui-  
busq; & de salute sua maximè sollicitis locum habet, sicuti  
è contrario conscientia lata angustæ huic opposita, in  
pessimis quibusq; deprehenditur, qui gravissima etiam  
peccata quod nimis sint ipsis familiaria & apud quam  
plurimos valde usitata pro nullis aut levibus habent.

XVI. Hujus exempla si quis nosse velit hodiernos  
tantum milites plerosq; intueatur, (quos tamen non pau-  
ci etiam togatorum vel imitantur hac in re vel superant)  
& deprehendet: jurare, scortari, inebriari, furta com-  
mittere & hisce similia alia non solum pro vitiis non ha-  
beri sed virtutum etiam maximarum instar extolli ac di-  
laudari. Et quamvis scrupulosa hæc conscientia cum du-  
bia maximam habere convenientiam videatur, differen-  
tia tamen satis manifesta est in eo quod dubia propriè di-  
cta neutri contradictionis parti adhæreat, scrupulosa ve-  
rò alterutram sequendam esse statuat etsi cum anxietate  
quadam, ut diximus, & timore, qui quidem si è proba-  
bili aliqua ratione proficiscatur, attendendus omnino  
est, sin rationem probabilem non habeat, spernendus,  
& quantum fieri potest ex animo ejiciendus.

XVII. Ut enim laudabile est, timere ne pecces, ita  
ineptè timere periculosum est, etsi peccatum tamen non  
sit, cum scrupulus ejusmodi non sit voluntarius sed bo-  
nos etiam invitos non rarò lædat. Atq; hic maximè lo-  
cum habet vulgatum illud, *medio turissimus ibis*, si nempe  
neq; laxes securè aut temerè nimis conscientiam, neq; su-  
perstitiosè nimis eandem coarctes, & contra scrupulos E-

S

saia



saia illud c. 35. adhibeas: *Dicite pusillanimis* (hi enim iidem videntur esse cum scrupulosis) *confidite, nolite timere.*

XII X. Nam certum est non esse Deum opt. max. Tyrannum aliquem, qui singula à nobis ad amissim repetat, aut ab infirmo robusta, ab ægroto sana, ab infante virilia exigat: sed piissimum patrem, qui figmentum suum cognoscat & in vasis luteis nostra nos gerere non ignoret. Tantum illud curetur sedulo ut serium nunquam peccandi propositum habeas & adhibitâ diligentia morali, bonâ fide ad operandum semper accedas: aliàs tam justum experire iudicem, quam benevolam jamjam monstravimus patrem.

XIX. His ita de Conscientia quintuplici pro ratione compendij hujus explicatis, non-nihil etiam dicendum esse putamus de Conscientiæ Examine, de quo D. Augustinum in hunc modum verba facientem huc adducimus: *Ascende homo adversum te tribunal mentis tuae, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.* Quæ quoties mecum considero videre fulmina, & tonitrua audire mihi videor, neq; mirari satis possum, quâ factum sit, quod apud Philosophos morales nusquam ferè de hac re agatur: tam utili profectò ac necessaria ad vitam rectè instituendam, ut ejus neglectui acceptum referre soleam quicquid hodie corruptelarum in vita & moribus mortalium reperitur.

XX. Theologorum equidem nonnulli mentionem ejus interdum faciunt, idq; occasione loci Paulini ex undecimo capite prioris epistolæ ad Corinthios, ubi Apostolus; *si nos ipsos, inquit, judicaremus, non judicaremur, id est, si in nostra facta diligenter & assidue inquireremus & nostra ipsi damnaremus scelera, facilius ad emendationem eorum deveniremus adeoq; iudicium divinum possemus*



semus hac ratione evitare; sed apud Philosophos altissimum plerumque de ea est silentium, cum tamen eorum propria sit hæc doctrina, & tantæ antiquitatis ut ipsum etiam Pythagoram non tam autorem quam cultorem diligentissimum agnoscat. Is enim inter alia documenta illud præcipuè discipulis suis mandabat, ut duo quotidie quisq; sibi designaret tempora, unum manè alterum vespere, quibus se in tribus potissimum rebus examinaret, scilicet quid feci? quomodo id feci? quid agendorum omisi? tum si quid in iis boni notaret, gauderet ac sibi met ipsi gratularetur, si verò quid mali, de eo doleret.

XXI. Notissima est aut esse debet omnibus illa *viri boni* ex aureis Pythagoræ carminibus desumpta *descriptio*, quam vulgò subungere Virgilio carminibus solent, secundum quam ille

*Non prius in dulcem declinat lumina somnum,  
Omnia quam longi reputaverit acta diei;*

Et ita secum ratiocinatur:

*Quid prætergressus? quid gestum in tempore, quid non?*

*Cur isti factò Deus affuit aut ratio illi?*

*Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,*

*Quam melius mutare fuit? miseratus egentem.*

*Cur aliquem fractâ persensit mente dolorem?*

*Quid volui quod nolle bonum foret? utile. honesto*

*Cur malus antetuli? num dicto aut deniq; vultu*

*Perstrictus quisquam? cur me natura magis quam*

*Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia*

*Ingrediens, ortuq; & vespere cuncta revolvens*

*Offensus pravus, dat palmam & præmia rectis.*

XXII. Obscutus est Cato virtutum illud apud Romanos exemplar egregium, qui apud Salustium exultabundus affirmat se sibi atque animo suo nullius unquam

S 2

delicti



*delicti gratiam fecisse.* Id quod de eodem etiam Plutar-  
chus testatur, qui dicere solitum scribit *veniam se dare o-*  
*mnium noxis præterquam suis.* Fecit hoc Publ. Sextius, ut  
consummato die cum se ad nocturnam quietem recepif-  
set interrogaret animum suum: Quod hodie malum tu-  
um sanasti? cui vitio obstitisti, qua parte melior es, ut  
docet Romanorum sapientissimus *l. 3. de ira. c. 36.* Qui qui-  
dem & ipse adeo necessarium esse putavit hoc præceptum  
ut sine eo nequaquam ad vitæ emendationem perveniri  
posse existimarit. *Deprehendas te oportet, ait ep. 28. ante-*  
*quam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas ali-*  
*quid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant?*  
*ideo quantum potes te ipse coargue. Inquire in te; accusatoris*  
*primum partibus fungere, deinde iudicis, novissimè depreca-*  
*toris. Aliquando re etiam offende.*

XXIII. Et loco paulo ante citato: *Quid pulchrius,*  
*inquit, hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille*  
*somnus, qui post recognitionem sui sequitur? Quam tranquillus,*  
*altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, &*  
*speculator sui censorq; secretus cognoscit de moribus suis. Utor*  
*hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublarum*  
*è conspectu lumen est & conticuit uxor moris jam mei conscia,*  
*totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil*  
*mibi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quicquam ex erro-*  
*ribus meis timeam cum possim dicere: vide ne istud amplius fa-*  
*cias: Nunc tibi ignosco &c.* Quæ in eandem sententiam è  
Plutarcho, Epicteto alijsq; Philosophis afferri poterant,  
ca deliberato animo non adscribo, ne Christianorum in  
emendanda vita & corrigendis moribus segnitiam ac ne-  
gligentiam gentilium verbis damnare velle videar, etsi  
nec illud sine fructu me facturum existimem.

XXIV. Nostrorum etiam, id est, Christianorum,  
Basi-



Basilij præcipuè, Chrysoftomi, Augustini, Bernardi alio-  
rumq; Ecclesiæ doctorum libri plenissimi sunt ejusmodi,  
præceptionibus, quibus examen illud Conscientiæ vir-  
tutum studiosis mandatur, quod quidem ab ipsis unani-  
mi consensu ligoni aut sarculo comparatur, quod vitia  
(de moralibus nobis sermonem esse jam ante monuimus,  
& improbum esse qui aliter id accipiat judicamus) per il-  
lud extirpari & eradicari ita possint ne ulterius serpent  
aut profundiores radices facile agant. Sed & freno rectis-  
simè assimilatur idem, siue commissa jam siue commit-  
tenda vitia spectes. Nam si hodie te examinaveris & de  
commisis à te vitiis dolorem conceperis, crastinâ profe-  
ctò die paratior ad evitanda illa eris, & hodierno etiam  
die cautius in omnibus operabere, si scias hac ipsa vespe-  
ra rationem de commissis tibi reddendam esse, idq; ani-  
mo tuo qui domesticus est in iudicio seu foro Dei ac con-  
scientiæ testis.

XXV. Ut autem eo melius doctrina hæc percipi & in  
ipsa exerceri vita queat, notandum est duplex esse Con-  
scientiæ examen: *Generale* alterum quo omnia delicta  
quæ totâ die non opere tantum sed ore etiam & corde  
commisimus aut omittendo, ut ita loquar, perpetravi-  
mus, in memoriam nobis revocamus & de vitandis in po-  
sterum iisdem solliciti sumus; alterum *Speciale*, quod cir-  
ca unum præcipuè vitium, cui nos præ ceteris obnoxios  
esse experientiâ didicimus, occupatur, & illi eradicando  
penitus incumbit.

XXVI. Etenim certissimum est & in semetipso qui-  
libet deprehendit, unumquemq; nostrum communiter  
aliquo vitio veluti principali esse deditum, quod nos  
violenter ad se trahat & quasi rapiat, ob magnam scilicet,  
quâ erga ipsum afficimur ac propendemus inclinationē.

S. 3

Huic



Huic igitur præcipuè, etiam Aristotele monente, resistendum est, nisi succumbere, & tota demum vitiorum agmina, quæ ex uno semper non secus ac viperarum gemina oriuntur, admittere velimus. Ut enim periti bellatores cum præcipuè locum præsidii firmissimis muniunt, quem omnium facillimè superari ab hoste posse existimant, ita nos ista in parte firmare oportet accuratissimè animum nostrum, quâ ille maximè patet, & quâ hostis noster infensissimus pariter ac solertissimus præ ceteris oppugnare nos ac debellare conatur.

XXVII. Et de hoc quidem speciali examine illud præcipuè observari præceptum debet, ut constanter ei inhæreas nec facilè ab eo dimovearis nisi prius victoriam de isto particulari vitio reportaris. Quod tum deprehendes contigisse, cum ita debilitatum illud est, ut dum primum sese exerit ac prodit, sine negotio statim rectæ rationis clypeo retundere ipsum tibi que subicere queas. Nec verò tam diu expectandum tibi est, donec nullam prorsus vel passionem vel repugnantiam appetitus tui deprehendas; ita enim ad finem nunquam devenires, cū in hac sive mortali vita sive vitali morte nunquam sperari possit tanta perfectio ut vitia prorsus non sentiamus; sed satis sit ita ea vinci ac debilitari ut impedimento ac remoræ non sint, quo minus quæ nobis agenda sunt, secundum rationis præscriptum exequamur.

XXIIII. Id quod non tantum scriptura sacra sed Philosophorum etiam præstantissimorum monumenta docent, Senecæ præsertim cuius hoc est non in uno loco decretum: *Contra vitia pugnamus non ut penitus vincamus, sed ne vincamur.* Hoc certè præceptum si observaverimus etiamsi singulis annis vel unicum vitium hoc modo eradicaremus, non longo certè tempore eam perfectionem,  
quæ



quæ hîc sperari potest, consequemur. Nunc autem non consequimur, quia, ut ingeniosissimè ac elegantissimè dictum ab Ennio citat Gellius l. 19. c. 10. *Præter propter vitam vivimus, i. e. circa vitam non autem in ipsa: ipsius enim vitæ solidum fructum sapientiam & rerum usum securi prætervehimur; siquidem magnam partem vitæ nihil agendo, majorem malè agendo, maximam aliud agendo consumimus.* De qua re subtiliter disputantem adeant qui volent Senecam l. de brevitate vitæ c. 2.

XXIX. Occupant nos vana hodie negotiola, novi temporum rumores, aliæ nugæ, per quas id, cujus gratia vivimus, nobis interim elabitur. Quid mirum igitur si in quamplurimos quadret Varronis illud è Satyra *ἡ ἐδυσπραγία? Si quantum opera sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam Philosophia dedisses, ipse bonus jam pridem esses factus. Nunc illum, qui norunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centusis.*

XXX. Iam quod attinet Examen conscientie generale, non potest de eo melius quicquam præcipi quam ut una cum particulari quotidie illud instituas, idque ita, ut regulam quandam seu normam tibi ponas ob oculos, ad eamque vitam tuam diligentissimè exigas. Ea verò rationis rectæ præscriptum seu lex naturæ est, quam Deus immortalis primo omnium mortalium mentibus inscripsit, & postea etiam, ne quis vel umbram ignorantie posset prætere, repetivit, ac tabulis lapideis insculptam Moyse tradidit, à quò ad nos etiam devenit & ad extremum usque hujus orbis terminum durabit.

XXXI. Decalogum intelligo cujus duæ sunt tabulæ, quarum una officii nostri erga Deum, altera ejusdem in proximum nos admonet, utraq; tersissimum quoddam speculum est, quod omnes nostros defectus, modo inspicere velimus, nobis exhibet & de emendandis illis sedulo

NOS



nos monet. Nam cum finis universæ legis sit charitas eaq; duplex, in Deum alia, alia in proximum, duas etiam infinita Dei sapientia conficere voluit tabulas, quarum prior amorem hominis in se ejus creatorem, posterior amorem in proximum sive civem mundanæ hujus reipubl. inculcaret.

XXXII. Cum verò scrutator cordium sit immortalis Deus & mediis etiam cogitationibus nostris sese immisceat, ut passim Epictetus docet, & sacræ literæ nusquam nõ demonstrant, ideo non voluit externis tantum ceremonijs amorem illum in se declarari, sed tria distincta priori tabulæ præcepta inscripsit, quorum primum, ut Corde, secundum ut Ore, tertium ut Opere amorem exhiberent, mortales obstringeret. Posteriori autem tabulæ ideò septem sunt insculptæ leges, quia una earum, quæ in universo opere quarta est, jubet nos proximo benefacere, reliquæ sex jubent eidem non facere malè; quorum illud, quæ est natura boni, unicam habet ac totalem causam, adeoq; uno etiam præcepto observato præstatur, hoc verò, ut solet in malis fieri, ex varijs causis seu potius defectibus contingit, unde plura etiam præcepta hinc fuerunt consignanda.

XXXIII. Nam malè facere possumus non tantum homini, sive ut loquimur *persona*, quod quinto præcepto nobis prohibetur, sed & *honori* ejus, quod sextum nobis prohibet, & *fortunis* seu bonis ejus exterioribus, ut vocantur, quibus quadruplici vel triplici potius lege cavere voluit misericordissimus pater, quod triplici ratione alterum alterius bonis insidiari posse cognosceret, Opere nimirum, Ore, & Corde, quorum primum præcepto septimo, secundum octavo, tertium nono & decimo nobis est interdictum. Hoc speculum sive hanc normam  
quoti-



quotidie contemplare, & ad illius præscriptum conscientiam tuam examina, ita facilimo negotio defectus tuos cognosces, & nisi improbus planè sis, de emendandis illis eris sollicitus.

XXXIV. Duo autem adhuc notari diligentissimè debent: *Vnū* est, ut in utroq; examine tam generali quam speciali non tam defectus ipsos, quos admisisti, quam earum radices, causas & occasiones, quæ incitamento tibi ad lapsum fuere, examines, ut ita præmunitus præmonitusq; in posterum tibi ab iis caveas. Id enim nisi feceris, idem tibi quod iis eveniet, qui cum semel ad lapidem offenderint pedem, quia ad impingendi occasionem non advertunt, etiam crastinâ die ad eundem offendunt, id ipsum fortassis etiâ perendiè sæpiusq; facturi. *Alterum* est, ut circumstantias actuum tuorum diligenter consideres, quibus eò faciliùs ad dolorem de comisso crimine concipiendum & ad emendationis firmissimum propositum (sine quo nihil aliud est examen quam nuda tantum & inutilis ceremonia ac fructu omni carens consuetudo) exciteris.

XXXV. De his igitur paucis etiam agendum nobis erit. Ubi ut intelligas quænam sint attendendæ præcipuè circumstantiæ, præsupponenda est primo generalis quædam circumstantiæ descriptio, quam quidem Thomas 1.2. q.7. art.1. his verbis proponit: *Nomen circumstantiæ, ait, ab his quæ in loco sunt derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare quod est quidæ extrinsecum à re: & tamen attingit ipsam vel appropinquat ei secundum locum. Et ideò quæcunq; conditiones sunt extra substantiam rei, actus humani, circumstantiæ dicuntur. Quod autem est extra substantiam ad rem ipsam pertinens, accidens eius dicitur. Unde circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicenda sunt. Haec* Genus Thomas.

T

36. Dein-



XXXVI. Deinde divisio etiam accuratè est obser-  
vanda, quæ triplices esse dicuntur circumstantiæ pro tri-  
plici ratione seu modo quo actum aliquem humanum  
illæ respiciunt. *Primo* enim reperiuntur nonnullæ circum-  
stantiæ quæ neq; aggravant peccatum, neq; ejus speciem  
mutant, adeoq; indifferenter sese ad ipsum peccandi ac-  
tum habent, nec hujus sunt omnino considerationis. Ita  
qui rem alienam invito Domino contrectat, simpliciter  
committit furtum, sive sinistrâ manu rem abstulerit sive  
dextrâ: item qui percutit sine caussa vicinum suum, ejus  
illegitima ista actio nullam per se vel mutationem vel au-  
gmentum vel diminutionem subit, sive rubeo fuerit in-  
dutus vestimento, sive cinericio, sive albo, sive cujus-  
cunq; deniq; coloris alterius qui percutitur. Hæc enim  
iisq; similia cum nullam deformitatem respectu rationis  
rectæ importent, neq; excusare peccatum, neq; aggra-  
vare, neq; speciem ejus mutare possunt ut apud omnes  
est in confesso.

XXXVII. Sunt *secundo* aliæ circumstantiæ quæ etsi speciẽ  
peccati non mutant, aggravant tamen delictum, h. e. pec-  
catum illud ratione speciei idem permanens majus tamẽ  
reddunt ex. gr. Rem alienam invito domino contrecta-  
re furtum est: jam sive multum sit quod quis eripit al-  
teri sive parum, non mutatur quidem delicti species, sed  
aggravatur tamen illud: id est, tollere multum non est  
aliud peccatum superadditum furto, sed est ac manet fur-  
tum; gravius tamen, quam si parum fuisset ablatum. Ra-  
tio est in promptu, quia multitudo aut paucitas per se  
non importat deformitatem seu repugnantiam ad ratio-  
nem, sed sola illa contrectio rei alienæ, quam suo domi-  
no quilibet relinquere tenetur.



XXXVIII. *Postremò* sunt nonullæ circumstantiæ quæ speciem peccati non aggravant tantum sed etiam variant. Idque toties contingit quoties ipsa etiam circumstantia novam quandam repugnantiam actus adversus rectam rationem importat. Exempli gratia: peccatum fornicationis in eo consistit quod quis cum foemina jungatur quæ sua non est; jam si addatur hæc circumstantia quod illa quæ tua non est & qua cum tamen jungeris, sit alterius uxor, mutatur peccatum fornicationis in aliud specie peccatum idq; multo gravius, videlicet adulterium, &c.

XXXIX. E quibus omnibus eas tantum hoc loco consideramus, quæ secundi vel tertij ordinis sunt, hoc est, quæ vel aggravant delictum vel novam ei speciem superaddunt. Quarum quidem alia causæ efficientis principalis, alia Instrumentalis, alia materialis, alia formalis, alia finalis est, alia oportunitatem loci; alia denique oportunitatem temporis respicit, omnesq; vulgato hoc versiculo continentur:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quem tamen à veteribus ita traditum mutavit aliquantulum Raimundus de penna forti & hoc modo protulit:

*Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.*

Ut scilicet septem illis circumstantiis octava etiam, à multiplici reiteratione desumpta, addatur. Et quamvis rectè doceat Cajetanus, iterationem seu multiplicationem, non esse circumstantiam unius actionis sed ipsam multarum actionum substantiam; nihilominus tamen pro nostro instituto rectissimè etiam ejus hîc habetur ratio, cum non parum ad delicti augmentum faciat, non quidem præcisè ut est iteratio, sed ut ex majori con-



temptu & in gratitudine, per se delictum aliquod aggravante, proficiscitur.

X L. Ut igitur propius ad institutum nostrum deveniamus, circumstantia illa *Quis*, quæ aliàs efficientis principalis, aliàs personæ circumstantia appellatur, non tam ipsam personam quam ejus condiciones respicit, ex. gr. cujus status, cujus dignitatis, cujus officij, cujus potestatis, cujus virtutis, cujus scientiæ, cujus ætatis, cujus sexus deniq; sit quorum operatio examinatur, ut docet Thomas in 4. sentent. dict. 16. Notus enim est ille Poëtæ versus

*Omne animi vitium tanto conspectius in se  
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.*

Cujus quidem rei quadruplicem causam eruditè satis idem Thomas in 1. 2dæ. quæst. 73. assignat. Quod nempe, qui paulo ante propositis prærogativis alios superant, 1. facilius resistere possint peccatis, & nisi resistent 2. majori ingratitude adversus suum creatorem sint præditi, ac 3. specialem quandam repugnantiam actus peccati ad magnitudinem suæ personæ involvant (ut si princeps justitiam violet qui custos justitiæ erat constitutus) & 4. denique suo exemplo inferiores quamplurimos seducant.

X L I. *Nam in exemplum culpa vehementer extenditur,* ait Gregorius, *quando pro reverentia gradus peccator honoratur.* Ubi distinguendum tamen diligenter est inter ea peccata quæ ex animo deliberato & ea quæ ex infirmitate aliqua humanæ naturæ sive ex subreptione, ut loquimur, proficiscuntur: Illa per excellentiam personæ, ex virtute, scientia, dignitate &c. provenientes omnino aggravantur; Hæc non item, cum certum sit ejusmodi peccata diligentius cavere homines excellentes quam reliquos,



quos, etiamsi omninò ea subterfugere ob imbecillitatem humanam nequeant.

XLII. Secunda circumstantia vocabulo **QUID** expressa non consideratur propriè ut est ipsius actus substantia, ut quod quis occiderit, quod fornicatus sit, quod furtum commiserit; sed ut est conditio aliqua seu proprietas facti, à qualitate aut quantitate proveniens, ut quod quis occiderit principem, parentem, præceptorem; quod fornicatus sit cum virgine, scorto, maritata; quod furto abstulerit rem divinis usibus destinatam, aut instrumenta sustentandæ vitæ necessaria, &c. Sive, ut brevius ac fortè rectius significantiusq; loquuntur alii, circumstantia quid non denotat ipsum objectum seu materiam actionis, sed conditionem tantum & modum illius materiæ sive objecti.

XLIII. Id quod unico Furti exemplo facilè demonstratur. Ejus enim objectum principale est res aliena (à qua ipse actus vitiosus & nomen & speciem suam habet) circumstantia verò quid est illius rei objectæ seu materiæ conditio aliqua, exempli gratia. **Quantitas**, ut esse multum aut parum, vile aut pretiosum, secundum quam deinde quantitatem majus aut minus etiam nocumentum esse dicitur quod sequitur ad illum actum. Unde per se facilè apparet circumstantiam hanc à sola quantitate provenientem, quamvis augeatur, speciem tamen peccati non mutare, sed gravius tantum illud in sua specie permanens efficere.

XLIV. Quod attinet tertiam, vocabulo **UBI** expressam, circumstantiam, notandum est etiam ipsam non præcisè locum ipsum, sed ejus accidens aliquod seu conditionem notare, ut an sacer fuerit an profanus? an publicus an privatus? &c. Longè certè gravius peccat qui



perjurium committit *in pratorio* ubi puniri solent mali-  
tiosi, aut qui *juxta patibulum* alij sua eripit, quam si alibi  
utrumq; committat; est enim indicium animi pessimi,  
si quis ne præsentibus quidem pœnis terreatur.

XLV. Ita si quis *in publico* peccet, gravius est deli-  
ctum quam si privatim id agat; imo ultra speciem auge-  
tur idem *si cum scandalo multorum præsentium* id fiat. *Majo-  
ris culpa est, ait Isidorus l. 2. de summo bono cap. 20.,  
manifestè quam occultè peccare. Dupliciter enim reus est qui  
aperitè delinquit: quia agit & docet.* Postremo sanctitas et-  
iam loci delictum aggravat; & non rarò speciem mutat,  
si scilicet ipse actus vitiosus directè sanctitati aut immuni-  
tati loci opponatur. Ratio est in promptu: quia ejusmo-  
di peccata in loco sacro commissa contemptum Dei ac  
sacrorum, qui per se peccatum est, annexum habent.  
Sicuti peccata in publico commissa adjunctum habere  
videntur gaudium de re turpi, quo nullum est peccatum  
gravius. Sed hæc per se sunt satis manifesta;

XLVI. Quarto loco PER QUOS ponitur: qui-  
bus verbis iterum non tam ipsa instrumentalis causa  
quam ejus conditiones distinctæ intelliguntur. Sunt au-  
tem duùm præcipuè generum illa instrumenta: Alia in-  
animata, alia animata. *Inanimata sunt vel sacra*, quibus  
ita aggravatur delictum ut ipsa etiam species mutari vi-  
deatur: quemadmodum contigit in convivio quod  
Balthasar satrapis suis exhibuit Dan. 5. ubi cum afferri  
juberet vasa aurea atque argentea è templo Hierosolymi-  
tano à Nabuchodonosore ablata, ut ex ijs se ingurgita-  
ret cum hospitibus, non luxuriæ tantum sed profanatio-  
nis peccatum committebat: vel sunt *profana*, quæ toti-  
es augent delictum, quoties præter damnum infamiam  
quoq; seu ignominiam afferunt, qua ratione majus cre-  
ditur



ditur esse crimen si quis equitem aut nobilem virgis cedat, quam si gladio eundem vulneret. Alias instrumenta illa non possunt delictum augere, nisi itidem per accidens, ratione videlicet vel damni majoris vel doloris.

XLVII. *Animata instrumenta sunt vel Irrationalia vel Rationalia: Illa non mutant speciem, cum idem sit specie peccatum sive leonibus dilaniandos objicias innocentes sive uris; Hæc etsi non semper, interdum tamen mutant, ut è præcedentibus etiam cognoscitur, ubi diximus aliud esse peccatum concumbere cum virgine, aliud cum consanguinea, aliud cum maritata. Iam quia internuncii, auxiliores, cooperatores & mediatores in delicto, peccandi sunt instrumenta, ideò ex his etiam aliter sese atq; aliter habentibus augeri diminuique delictum potest. Itaque qui fornicationem intendit & ad eam perpetranda internunciis utitur sacerdotibus aut pueris benè educatis, auget profecto delictum suum & quasi gradum quendam superaddit, quia ministro Christi utitur ad opera diaboli, & quantum in se est hominem innocentem ad peccandum inducit.*

XLIX. *Circumstantia numeri particula. QUOTIES expressa, etsi propriè circumstantia non dicatur, ut supra jam docuimus; attendenda tamen in examine conscientiæ diligentissimè est, nam ex frequentatione alicujus actus oritur consuetudo ac tandem habitus, è quo qui peccat longè est deterior eo, qui ex imbecillitate aut ex affectu aliquo cito transeunte labitur, ut alibi jam ex Aristotele demonstravimus. Unde rectissimè, quem paulò ante laudavimus Isidorus libro citato cap. 24. peccatum admittere, inquit, est cadere in puteum: consuetudinem verò peccandi facere, os putei est coangustare, ne is qui decidit, valeat exire. Caveatur ergo summo studio ne bis aut sæpius*



pius ad eundem impingatur, aliàs illud tandem *Ieremia* cap. 13. v. 23. locum habebit, cuius sine horrore nunquam reminiscor: *si mutare potest Aethiops pellem suam aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.*

XLIX. Attendendum porrò diligentissimè est in actibus humanis CUR id est quo fine exercentur. Ubi de intentione agentis præcipuè quæritur. Quæ quidem interdum coincidit cum fine ipsius actionis ut si quis ideò fornicetur ut delectationem corporis persentiscat, vel non coincidit cum eo, ut si quis fornicetur cum foemina divite ut ei gemmas & aurum commodius possit furari. *Si coincidit, cum fine, neq; aggravat peccatum neq; speciem mutat: si non coincidit & est tamen de re ejusmodi quæ peculiari præcepto prohibetur, jam mutat speciem, ut monstratum est.*

L. Notari hic obiter, ut ad finem properemus, illud debet: *malum quidem actum etiam si propter bonum finem exercentur manere nihilominus malum, ut si quis furtum faciat ut liberos suos totamq; familiam sustentet, aut si injustè lueretur ut dare possit eleemosynas; actum autem bonum aut indifferentem si fiat propter finem malum & à lege prohibitum amittere suam bonitatem aut indifferentiam, ut si quis exspacietur aut citharam pulset, ut ad scortandum aliquam inducat. Bonum enim ut Dionysius ait, constat ex integra causa, malum vero ex quovis defectu. Cui & Seneca consentiens; Adjice nunc inquit Epist. 82. quod nihil honestè fit nisi cui totus animus incubuit atq; affuit, cui nulla parte sui repugnavit.*

LI. Circumstantia QUOMODO quæ etiam modi à nonnullis appellatur præ ceteris observari in examine conscientiaè studiosè debet. Et includit ea omnes peccantium,



cantium, ut loquimur, inventiones, quarum tot sunt aut esse possunt, ut certi aliquid de ijs definiri nequeat. Nam vi alij peccant, alij fraude; suo alij periculo alij alterius; agendo alii, alii patiando; alii naturali & ordinario modo, alii extraordinario & contra naturam. Et quis bonus aut probus, id est harum rerum inexpertus tantam ac tam profundam nequitiae voraginem atq; abyssum peruestigabit?

LII. Herculis hic opus esset viribus ut istud Augiæ stabulum purgaretur. Itaq; hæc tantum observetur regula: *Quo turpiori modo peccata sunt, eò etiam turpiora, hoc est, graviora ea esse.* Exempla hinc ut addantur non opus est: cum præsertim ejusmodi apud autores nonnullos proponantur ut ab auribus castis sine maximo vix audiantur dolore. Sed & animus à longiori earum rerum memoria abhorret, & lingua eloquij operam in iis invita collocat. Quamobrem ad ultimam statim circumstantiam progrediemur.

LIII. Ea temporis est & voce **QUANDO** signatur, nec ipsum tamen præcisè tempus sed ejus accidens aliquod spectat. Utrum exempli gratia, sacro an profano, sive quod idem est an tempore festo aut profesto aliquid sit commissum. Certè qui fornicatur aut homicidium committit, gravissime peccat, quocunq; tandem illud faciat tempore; at si die sacrâ faciat, quis dubitat, quin longè fiat gravius delictum, cum specialis hinc oriatur repugnantia adversus tertium divinæ legis præceptum, quo omnia diebus sacris servilia opera prohibentur. At quodnam opus peccati opere est servilus? quo homo liberrimus ita suam amittit libertatem ut etiam venundatus à scriptura dicatur, quod pessimi non servi tantum sed nebulonis etiam atq; carnificis diaboli fiat mancipiū.



LIV. Cum igitur ex hac circumstantia alia atq; alia actus deformitas ad rationem legemque divinam importetur, certè alia etiam alia erit peccati gravitas, imò, ut placet Navarro, alia etiam species. Is enim *si quis eo fine peccat, inquit, ut violet festum & offendat Deum faciendo opus ingratum ipsi, is ratione temporis novo peccato peccat.* Sed quicquid sit de ejus sententia quæ non est omninò improbabilis, hæc certè ratio eam non probat, cum in hoc casu novitas speciei non ex circumstantia temporis sed finis oriatur.

L V. Hoc tamen certum est opera indifferentia ex circumstantia temporis novam speciem accipere, ut sunt mechanica omnia, quæ etsi aliàs nec bona per se nec mala sint moraliter, prohibita tamen sunt diebus festis, ut omnibus est notissimum. Et hæc de circumstantiis hoc loco dicta sufficiant, quæ pluribus explicari facilimè possent nisi ad terminum instituti nostri vocaret ratio:

Nunc enim obiter tantum ea proponenda fuere ut nobilis illa de conscientia doctrina

melius intelligeretur.



Or-





Ornatissimo Dn. RESPONDENTI  
Conterraneo & amico meo

μεροσημόντως καὶ κεραισποδῶς γτ.



*V*anquam res dubia ac periculosa est  
forum iudicij dubi subire,  
& causam trepidæ expedire mentis,  
tum vitæ omnibus explicare casus  
incertos, quibus undiq; est referta,  
scrupulos bene providere, diram  
inter Scyllam adeo asperam & Charybdin  
cursum illum pelagi tenere rectum:  
At tu perge viam, aleamq; veri  
MAURICI subeas tuam atq; recti,  
& causas dubiæ expedito mentis,  
scrupulos assiduos moveto vitæ.

Res non parva, nec horulæ pusillo  
datum est arbitrio, quid hîc & illic  
hæc quid res sibi poscat, & pericli  
quid portet sibi facta, omissa quævis;  
non isthæc juvenes requirit annos  
sed senes adeo, sed & virilis  
res est plena laboris arduiq;.

At tu MAURICI amice obito pugnam hanc,

V 2

in ca-



*in castris bone miles Ethicorum  
porro ductor ovabis, at triumphum,  
Quamvis abnuat id modesta vita,  
Clarabunt tua IVRA post futurum*

I. BRESLOVIUS.

**S**I qua est, quæ possit mores doctrina juvare,  
Discentemq; bonum quæ præstet & inde beatum;  
Hæc est quam præsens dat Differtatio, clarus  
SCHEURLÆUS docto quam præcipit ore Magister.  
Discant hanc animi dociles teneantq; fideles,  
Discant hanc moniti, ne culpa redundet in ipsos,  
Ne quando doleant monitum sprevisse Bonorum,  
Quando luent pœnas scelerum vitæq; solutæ.

Sed tibi CUSTERI, dulci Patriæq; Patriq;  
Dete, deq; tuo studio virtutis honesto  
Gratulor, atq; ausim de te promittere multa.

Perge viam, recta est, claro Duce perge Magistro,  
Nec præcedentes capta, nec respice tardos:  
Conde & comporta Patriæ quæ promere possis,  
Quæ consultori prudens mœstoque clienti,  
Cum tua sub galli pulsabunt ostia cantum.

*Contubernali & con victori meo suaviss:  
gratulabar*

CHRISTOPHORUS DOBBERZIN  
Perlebergensis.


F I N I S.
















COLLEGIUM MORALIS PVBLCI

DISSERTATIO SEPTIMA

De

CONSCIENTIA  
DUBIA ET SCRUPU-  
LOSA, DEQVE CON-  
SCIENTIÆ EXAMINE,

QVAM

D. O. M. A.

SVB PRAESIDIO

Clarissimi atq; excellentissimi viri

DN. HENRICI IVLII Scheurl

Opt. art. M. & Philosophiæ moralis Prof. P.

nec non pro tempore Facultatis Philosophicæ

Decani, Præceptoris ac Fautoris sui

ætatem colendi,

Publica disquisitioni subijctæ

MAVRITIVS CÜSTERIVS

Gardelegiâ Marchicus.

IN AUDITORIO MAIORI,

XV. Kal. Augusti.

HELMAESTADI.

Typis IACOBI LVCII,

cl. 13 c XXXV.

26

*Manuscript notes:*  
1678  
by ...  
...

